

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (60)

4.15.2. De cappella Sanctae Ottiliae

Cappella Sanctae Ottiliae, quae originaliter ex serā aetate mediaevali exoriunda est et diu locus peregrinationis piaie ad illam Sanctam erat, illo tempore, quo P. Andreas Amrhein castellum Ambingense emit, causa magni



*Cappella Sanctae Ottiliae
ex oriente recepta.*

momenti erat, cur speciatim hoc aedificium emere decerneret, cum ibidem ecclesiola in promptu esset, quā societas ad opera divina celebranda uti potuit.¹

Sed cappella Sanctae Ottiliae inde ex anno 1851^o erat ecclesia filialis parociae Aeresingensis² et itaque eiusdem administrationi ecclesiasticae subiecta erat. Benedictini autem statim optime recipiebantur et episcopo Augustano Pancratio von Dinkel adiuvante anno 1887^o conventio inita est, quā status iuridicus huius cappellae quidem mansit intactus, Benedictinis tamen

1 Cfr Vol. 1, cap. 1.6.2.

2 Eresing.

cappellae usus non adstrictus concessus est.³ Haec solutio unanimiter facta bonum fundamentum cooperationis erat.

Inde ab anno 1910^o haec conventio paululo mutabatur. Nam mense Decembri a. 1910^o inter ecclesiasticam administrationem Aeresingensem atque Conventum Ottiliensem pacto convēnit, ut ecclesiastica administratio Aeresingensis cappellam Sanctae Ottiliae unā cum totā instructione in perpetuum monasterio Benedictino traderet, id est usque dum haec sedes Ordinis in loco Ottiliensi versabatur.⁴ Tamen - sicuti iam in conventionē anni 1887ⁱ - provisum erat, ut cappella Sanctae Ottiliae parochis Aeresingensibus omni tempore ad opera divina celebranda pateret. Fundatio cappellae illo tempore opes 5000 marcarum possidebat. Eaedem ita dividerentur, ut 4000 marcarum apud administrationem ecclesiasticam remanerent ad fundationem cappellae Sancti Udalrici condendam, 1000 marcas monasterium ad aedificium cappellae Sanctae Ottiliae asservandum acciperet.⁵ Haec conventio erat benevolentia satis magna erga monasterium Ottiliense.⁶

Secundum sententias, quae in primā partis conventionis mensis Decembris anni 1910ⁱ leguntur, nonnulli putavisse videntur agi de donatione plenā Cappellae Sanctae Ottiliae. Sed hōc videlicet ita se non habuit. Itaque in pacto diei 26^o m. Febr. a. 1912^o, quod ecclesiastica administratio Aeresingensis atque Abbatia Ottiliensis inierunt, quaedam res modificatae et exactiores

3 *Cfr* Vertrag, 23.2.1887 (ASO, A.14.3). - Hoc singillatim significavit opes cappellae Sanctae Ottiliae tamquam cappellae castelli ut fundationem mansisse sub administratione ecclesiasticā paroeciae Aeresingensis. Conservatio aedificii pecuniā e fundatione redditā solvebatur. Res autem, quae sumptibus societatis missionariae emptae erant, in eiusdem possessione manserunt. Mutationes cappellae tantummodo administratione cappellae assentiente fieri potuerunt. Domui missionariae concessum est, ut in cappellā Sanctae Ottiliae opera divina cottidiana celebraret atque Sacramentum Sanctissimum ibi asservaret. Tamen permansit ius parochorum Aeresingensium, quo opera divina usque tunc ibi suscepta, celebrarent.

4 *Cfr* Beschluss der Kirchenverwaltung Eresing, 16.12.1910 (ASO, A.14.3). - *Cfr* ad hoc etiam breviter Maria HILDEBRANDT (2008), p. 30. - Si Conventus Ottiliensis ex loco abiret vel si monasterium sublevaretur cappella Sanctae Ottiliae iterum ad administrationem ecclesiasticam transiret.

5 Si monasterium ab hōc locō abiret, illa pecunia 1000 marcarum iterum ad fundationem traderetur.

6 Haec conventio diei 16 m. Dec. a. 1910 die 16 m. Febr. a. 1911 ab administratione civitatis comprobata est.

redditae sunt.⁷ Magni momenti hōc in conexū erat adnotatio non agi de donatione plenā, sed de condiciome, quā cappella committitur pacto adhibito, quod tamen renunciari non posset, dum monasterium Benedictinum in loco Ottiliensi situm esset. Ipsa autem cappella atque fundus, in quo sita erat, in possessione ecclesiasticae administrationis Aeresingensis remanserunt. Praeterea opes foundationis - aliter ac primo praecogitatum erat - non dividebantur, sed intactae apud ecclesiasticam administrationem Aeresingensem manebant, qua in re nihilominus ex redditibus pecuniariis foundationis quotannis 40 marcae ad cappellam Sanctae Ottiliae sustentandam solverentur. Etiam instructio cappellae mansit possessio ecclesiasticae administrationis, tamen tota in potestatem Conventūs permissa est.⁸ Etiamsi parvae mutationes rerum factae sunt, haec conventio monasterio Ottiliensi erat emolumento.

Usque dum denuo renovandi opera cappellae Sanctae Ottiliae suscipiebantur, aliquod vero spatium temporis intercessit. Nam denique autumnō a. 1921ⁱ monachi aedificii restorationem externam amplam profundamque facere coeperunt.⁹ Revera tantummodo harenationem atque stillicidia renovare praecogitatum erat. Tamen inter labores apparuit tignationem, qua concameratio sustentatur, effectū umiditatis decursū annorum valde affectam esse, ita ut etiam timendum esset, ne aedificium corrueret. Illa autem damna inter labores restaurandi refici poterunt.

Tempore vernali anni 1923ⁱ necessaria renovatio oeci interni cappellae Sanctae Ottiliae sequebatur, quam Ottiliensis magister pictor



*Figura Sanctae Ottiliae
in Ottiliensi cappella constituta.*

7 Cfr Beschluss der Kirchenverwaltung von Eresing, 26.2.1912 (ASO, A.14.3). - Ad hanc rem breviter etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 38. - Cfr etiam adnotatio in Chron. Ottil., m. Sept./Oct. 1921.

8 Regimen Bavariae Superioris huic conventioni die 4 m. Apr. a. 1912 assensum est, magistratūs Landsbergenses die 17 m. Apr. a. 1912.

9 Cfr Chron. Ottil., m. Sept./Oct. a. 1921. - Breviter de hac re etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 38.

Fr. Desiderius Bayerl confecit.¹⁰ His in laboribus tamen agebatur solum de parietibus lacunarique dealbandis. Quod autem attinebat ad instructionem cappellae et ad altaria nihil mutabatur. Hōc imprimis eā de causā erat alicuius momenti, cum figura centralis Sanctae Ottiliae, quae iam pridem in cappella erat, in altari principali constitutam relinqueretur neque idea exorta est, qua haec statua Sanctae commutaretur. Nam haec figura quadamtenus extraordinaria est. Agitur enim de opere Gotico e fine saeculi quinti decimi exoriundo.¹¹ Haec pulchra sculptura Sanctae Ottiliae tamen eā quōque de causā non est omnino solita, quia Sancta praeter attributa sua significantia, nempe librum cum duobus oculis, quas res in manu sinistrā tenet, in dexterā manu extentā insuper alium oculum porrigit. Hunc in modum illustratur Sanctam Ottiliam lumen, quod ipsa acceperat, etiam aliis tradere.¹² Haec figura extraordinaria itaque speciatim Benedictinis missionariis optime convenit.

4.15.3. De domibus minoribus

4.15.3.1. De domibus Sancti Iosephi et Sanctae Annae

Pristinam domum Laurentii [Laurenz] Streicher Benedictini emerunt mense Aprili a. 1889ⁱ et deinde, postquam in eorum possessionem transiit, ei nomen Sancti Iosephi dederunt, quia ibīdem plerique opificinae instituerentur.¹³ Satis celeriter tamen apparuit locum non pro omnibus sufficere. Sic exempli gratiā opificina carpentaria in domunculam transmigravit, quae ex adverso domūs Sancti Iosephi recenter exstructum erat. In domo Sancti Iosephi ad tempus tantummodo opificina lignaria remansit.

Omnes autem opificinae Ottilianae propter varia aedificia nova, aedificiorum mutationes extentionesque semper occupatissimae erant. Itaque pristina domus Sancti Iosephi satis celeriter pro opificina lignaria nimis angusta erat. Solutio vero huius problematis erat in eo, ut iam anno 1903^o huic aedificio

10 Cfr Chron. Ottil., m. Febr./Mart. a. 1923. - Rem commemorat etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 41.

11 Secundum investigationem Bettinae Mayer, mulieris historiae artis peritae, haec figura annis 1480/90 sculpta est. Sculptor quidem est ignotus, sed ab ipso praeterea figurae, quae sunt «Deploratio Christi» in loco Waltherhofen et «Sanctus Georgius» in loco Unterschöneberg, confectae esse putantur. - Ad hanc rem cfr notitia ASO, A.15.2.

12 P. Rudolfus Stenglein OSB hanc interpretationem explicuit in conexū emissionis televisificae secundae programmatis (ZDF) diei 8 m. Febr. a. 2015, cui titulus est «Opus divinum in Archiabbatia Ottiliensi celebratum» («Gottesdienst in der Erzabtei St. Ottilien»).

13 Cfr Vol. 1, cap. 1.6.3.4.

additamenta adiugebantur, nempe ita, ut domus et in oriente et in occidente extendebatur.¹⁴ Maius additamentum orientale lignariis destinatum erat, in minorem partem occidentalem denuo opificina carpentaria immigravit.



Lignarii in opificina sua.

Mense Iulio a. 1888ⁱ emptum erat «praedium Baderianum», quod deinde nomen Sanctae Annae accepit.¹⁵ Primo finis domūs Sanctae Annae in eo erat, ut maiorem locum habitandi pro Sororibus praeberet. Cum anno 1891^o Sorores deinde in novum suum monasterium Sanctae Catharinae transmigrarent, domus Sanctae Annae decursū temporis varias destinationes habuit. In initio Sorores ibīdem adhuc lavandaria peregerunt, deinde anno 1904^o ad tempus ut domus filialis seminarii Sancti Michaelis in usū erat, quod etiam maxime loco egebat.¹⁶ Quamquam Sorores iam anno 1904^o ex monasterio Sanctae Catharinae emigraverunt et hoc aedificium in futurum ut seminarium adhiberetur, mutationes non tam celeriter perfici potuerunt ut praecogitatum erat. Itaque solutio intermedia domūs Sanctae Annae erat necessaria. Inde a mense Septembri a. 1904ⁱ hac in domo scholares classes quartae docebantur et discipuli classium sextarum in oeco subtegulaneo huius domūs pernoctaverunt. Nihilominus sciebatur hanc condicionem non fore diuturnam, cum discipuli mense Novembri a. 1904ⁱ in aedificium Sanctae Catharinae immigrare valerent.

14 De domo Sancti Iosephi *cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 64.

15 *Cfr* Vol. 1, cap. 1.6.3.3.

16 De domo Sanctae Annae *cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 61 sqq.

Postquam domus Sanctae Annae a discipulis non iam occupata est, ibidem inde a mense Augusto a. 1907ⁱ magistri saeculares scholae habitaverunt,¹⁷ postea etiam alii officiales. Anno 1920^o nova mutatio in usū domūs Sanctae Annae facta est. Nam illā in domo opificina coriaria chromio alumineque adhibitis instruebatur, quae cum opificina rerum coriariarum conficiendarum cohaerebat.¹⁸

4.15.3.2. De domibus Sancti Gabrielis et Sancti Raphaelis

Domus, quae postea appellata est secundum Sanctum Gabrielem, erat primum aedificium primusque fundus vici Ambingensis, quod P. Andreas Amrhein post castellum Ambingense emerat.¹⁹ Praedium fuerat Iosephi Wiedemann agricolae et in fine anni 1886ⁱ inque initio anni 1887ⁱ in possessionem Societatis missionariae transierat.

Domus Sancti Gabrielis primo ad varios scopos adhibebatur. Sed cum in monasterio Ottiliensi paulatim excolebatur institutum alumnorum operariorum, qui variis in opificiis erudirentur, illa domus partim ut habitatio quorundam alumnorum adhibita est. Inde ab anno 1906^o tota domus Sancti Gabrielis in usum opificum erudiendorum vertebatur,²⁰ cum eodem anno schola opificium fore definitive decretum est.²¹ Haec vero schola tam bonos progressūs fecit, ut domus Sancti Gabrielis brevi tempore nimis parva esset. Itaque omnino necessarium erat, ut hōc aedificium extenderetur atque mutaretur, cum insuper in illā domo nulli oeci institutorii exstarent.

Commutatio autem aedificii mense Aprili a. 1913ⁱ incohata est.²² Aedificium pristinum ab oriente in occidentem extendebatur, habebat displuviatum tectum atque in latere oblongo septem fenestras. Ut mutationes fieri possent,

17 Cfr Ann. Ottil., 26.8.1907, p. 66 (ASO, A.3.4.3). - Breviter mutatio conclavium propter hunc scopum commemorat Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 26 (ASO, A.14.0).

18 De hac re fusius cfr infra cap. 15.8.2.

19 Cfr Vol. 1, cap. 1.6.3.1.

20 De mutationibus domūs Sancti Gabrielis cfr Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 47 sq. - Breviter hanc rem commemorat Leander BOPP (1952), p. 28 (ASO, D II).


21 De hōc institutō alumnorum operariorum cfr supra cap. 12.1.2.

22 Cfr Ann. Ottil., 28.4.1913, p. 145 (ASO, A.3.4.3). De commutatione breviter etiam Mbl 18, 1913/14, p. 258 [Jahresbericht der Benediktiner-Mission 1913].



Aedificii Sancti Gabrielis ichnographia anni 1913ⁱ.

domus usque ad fundamenta destruebatur.²³ In aedificio novo extensio orientali occidentalique servata est, sed idem in directionem septentrionalem extensum est, uno tabulato altius redditum est atque ei tectum cellarum



*Aedificii Sancti Gabrielis delinatio lateris septentrionalis
et sciagraphia lateris meridionalis atque occidentalis
(supra a dextris: aedificiorum Ottiliensium dispositio localis).*

²³ Sic Chron. Ottil., Apr./Mai 1913; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 37 (ASO, A.14.0). - Maria HILDEBRANDT (2008), p. 49 suspicatur propter temporis spatium aedificandi satis breve in destruendo tantummodo actum esse de muro septentrionali.

subtegulanearum impositum est.²⁴ Hunc in modum non solum loci spatium efficiebatur, quo circiter quinquaginta alumni habitare valuerunt,²⁵ sed etiam oeci institutorii respici potuerunt.²⁶ Die 27^o m. Aug. a. 1913^o aedificandi spatio temporis satis brevi quattuor mensium Pater Subprior novam domum sollemniter initiavit.²⁷



Aedificium Sancti Gabrielis post annum 1913^{um}.

Domus Sancti Raphaelis, quae immediate in propinquo aedificii Sancti Gabrielis sita erat, pertinuerat ad praedium Iosephi Wiedemann et eodem tempore empta erat ac domus Sancti Gabrielis.²⁸

Domus Sancti Raphaelis satis celeriter reddita est centrum variorum opificinarum, quo in conexū imprimis opificina sutrina nominanda est.²⁹ Sed exempli gratiā etiam claustrarii, dealbatores atque vestifices decursū temporis in

24 Suggrundium erigendum incohaturum est in initio mensis Aprilis a. 1913. - *Cfr* Ann. Ottil., 2.6.1913, p. 147 (ASO, A.3.4.3).

25 Tamen domus non statim plene referta erat.

26 Anno 1924 denique cappella propria instruebatur.

27 *Cfr* Ann. Ottil., 27.8.1913, p. 155 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Bauge-schichte St. Ottilien (s.a.), p. 37 (ASO, A.14.0).

28 *Cfr* Vol. 1, cap. 1.6.3.2.

29 De mutationibus domūs Sancti Raphaelis *cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 53 sqq.



Sutores in opificina sua.

hanc domum immigraverant.³⁰ Mirum autem est, cum ipsi domui esset magnitudo non vere ampla, quot Fratres ibidem operarentur.³¹



Claustrarii in opificina sua.

30 Post incendium magnum aedificii oeconomiae anno 1909^o factum in domo Sancti Raphaelis etiam vigiles nocturni versabantur, quorum munus propter illud incendium institutum erat.

31 De aliquibus mutationibus domūs Sancti Raphaelis solum breviter commemoratur in opificina sutrina parietem quendam amotum esse, ut oecus maior efficeretur. - *Cfr* Ann. Ottil., 30.4.1913, p. 145 (ASO, A.3.4.3).

4.15.4. De aedificio Sancti Michaelis

Postquam discipuli anno 1904^o in pristinum Sororum monasterium Sanctae Catharinae transmigraverunt, in aedificio Sancti Michaelis oeci tunc liberi ad alios scopos adhiberi potuerunt.³² Primo propter penuriam loci ibīdem oecus studiorum clericis destinatus instruebatur, sed etiam schola pictorum sic dicta ad Fratres spectans, in quā architectura atque ars delineandi docebantur.³³ In pedeplanis huius aedificii nunc praeterea Museum Africae collocatum est, quod inde ex anno 1902^o in additamento domunculae portariae huic scopo omnino non apto inventum erat.³⁴

In fine mensis Martii a. 1909ⁱ Conventus Ottiliensis constituit, ut agriculturae schola hibernalis conderetur.³⁵ Eam sedem suam in pristino seminario Sancti Michaelis habituram esse scilicet commendandum erat. Quod attinebat ad tempus aestivum, consilium captum erat domum exercitiorum instituere, ut locus apte atque optime adhiberetur. Sed ad hoc inceptum perficiendum quaedam commutationes atque additamenta necessaria erant.³⁶ Antequam schola hiemalis autumnō a. 1909ⁱ aperiebatur, nonnulli oeci in aedificio Sancti



Schola hiemalis domusque exercitiorum cum additamento novo.

32 De aedificio Sancti Michaelis *cf.* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 177 sq.

33 *Cf.* Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 23 (ASO, A.14.0).

34 De Museo eiusque progressū *cf.* infra cap. 15.6.3.

35 De ipsā schola hiemali *cf.* supra cap. 12.1.2.

36 De schola hiemali et de domo exercitiorum *cf.* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 178 sq.

Michaelis transmutati sunt.³⁷ Magni autem momenti erat praeterea aedificium extendendum susceptum esse, cuius descriptiones P. Paulus Sauter exaravit. Aedificii additamentum, quod inde ab anno 1910^o incohatum est, lateri occidentali Sancti Michaelis adiunctum est idemque in directionem septentrionalem extensum est.³⁸ Mense Septembri a. 1910ⁱ aedificium externum erat confectum et instructio interna incohari potuit.³⁹ Additamentum aedificii Sancti Michaelis deinde usque ad mensem Novembrem a. 1910ⁱ definitive absolutum erat.⁴⁰ Postquam Museum Africae mense Septembri a. 1911ⁱ e domo Sancti Michaelis amotum est, mense Martio a. 1912ⁱ pristinus oecus festivus in complura conclavia participibus exercitiorum destinata transmutatus est.⁴¹

4.15.5. De Sororum monasterii Sanctae Catharinae mutatione in seminarium

4.15.5.1. De ipso aedificio

Postquam Sorores mense Iunio a. 1904ⁱ Tutzingam transmiraverunt, aedificium pristini monasterii in scholam mutandum incohari potuit. Haec adaptatio urgender necessaria erat, cum aedificium Sancti Michaelis numero discipulorum continuo crescente interea condiciones angustissimas praebeuit.

Itaque transmutatio aedificii Sanctae Catharinae statim incohata est atque oeci ibidem inveniendi indigentis alicuius seminarii, quantum fieri potuit,

37 Museum Africae primo in illo aedificio remansit, sed quaedam partes exhibitionis in oecum equitum translatae sunt. - *Cfr* Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 29 (ASO, A.14.0).

38 Mense Martio a. 1910 muri fundamentales confecti erant. - *Cfr* Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 30 (ASO, A.14.0). - In initio mensis Aprilis a. 1910 aedificium externum usque ad primum tabulatum erat ductum. *Cfr* etiam Ann. Ottil., 18.4.1910, p. 97 (ASO, A.3.4.3). - Mense Iunio tunc suggrundium quoque factum erat. *Cfr* Chron. Ottil. Mai/Jun. 1910; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 30 (ASO, A.14.0).

39 *Cfr* Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 30 (ASO, A.14.0). - *Cfr* etiam Ann. Ottil., 15.9.1910, p. 101 (ASO, A.3.4.3).

40 *Cfr* Mbl 15, 1910/11, p. 138 [Jahresbericht der Benediktiner-Mission 1910]. - Paulum perturbans «relatio annua» anni 1911 scripta est [«Jahresbericht der Benediktiner-Mission 1911»]. *In*: Mbl 16, 1912, p. 178], cum eandem legentes putare possunt additamentum ad aedificium Sancti Michaelis demum mense Novembri a. 1911 confectum esse.

41 *Cfr* Ann. Ottil., 18.3.1912, p. 126 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 36 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 179.

adaptati sunt atque iidem prorsus renovati sunt.⁴² Tamen problema quoddam fundamentale exortum est, cum, ut omnes indigentiae explerentur (id est ut non solum conclavia classium, sed etiam oeci studiorum atque oecus exerci-



*Delineatio novae domūs anno 1906^o aedificio Sanctae Catharinae adiunctae
(supra: conspectus meridionalis, infra: conspectus occidentalis).*

tiorum corporalium instituerentur), plerique muri interni aedificii Sanctae Catharinae amovendi fuissent. Itaque tamquam solutio facilior constituebatur, ut in latere occidentali pristini monasterii novum aedificium adiungeretur, quod in directionem septentrionalem extendebatur. Provisum erat, ut hōc novō aedificiō containerentur oeci studiorum, dormitorium atque necessarius oecus exercitiorum, qui insimul etiam oecus festivus oecusque theatri futurus esset. Descriptionem autem huius aedificii novi exaravit ingeniarius Tutzingensis Engelbertus Schnell, qui praeter alia iam in aedificio Sanctae Catharinae exstruendo participaverat.⁴³

42 Cfr. Ann. Ottil., 18.3.1912, p. 126 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 36 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 179.

43 Cfr. Vol. 1, cap. 1.6.4. - Maria HILDEBRANDT (2008), p. 90 refert statale ministerium rerum internarum huius aedificii descriptionibus Engelberti Schnell primo non fuisse contentum, cum timendum esset, ne ibidem problemata statica exorirentur. Haec problemata statica,



Delineatio aedificii seminario adiuncti (conspectus occidentalis).

Fundamenta additamenti seminario adiungendi mense Septembri a. 1904ⁱ ponebantur. Exstructio autem aedificii celeriter progrediebatur. Cum hōc



Locus structorius cum novo aedificio addito.

novum aedificium exstrueretur, eodem tempore mutationes in aedificio Sanctae Catharinae confici potuerunt, ita ut discipuli diebus 9^o et 10^o m. Nov. a. 1904^o illuc transmigrare valerent. Tamen denique in fine anni 1904^o illuc

quae fore putabantur, soluta sunt trabibus ferreis adhibitis, quae suggrundio inserebantur.

perveniebatur, ut etiam refectorium seminarii usui tradi posset.⁴⁴ Usque ad finem mensis Decembris praeterea contigit, ut novo aedificio suggrundium



Refectorium seminarii in aedificio Sanctae Catharinae situm.

imponi posset, antequam decursū hiemis reliqui labores ad tempus intermittendi erant.⁴⁵




Seminarium Sanctae Catharinae cum novo aedificio extrinsecus confecto.

Inde ex tempore vernali anni 1905ⁱ opera in novo aedificio structionibus

44 In aedificium Sanctae Catharinae illuminatio gasalis primo valde laudata imposita erat. Postquam autem mense Ianuario a. 1906ⁱ displosione gasali magnum damnum effectum est, aedificium lumine electrico instructum est, ut plures calamitates vitarentur.

45 Cfr Chron. Ottil., m. Dec. a. 1905 ad m. Ian. a. 1905.

internis continuabantur, quae per totam aestatem durabant. In fine mensis Augusti atque in initio mensis Septembris discipuli dormitorum in novo aedificio situm atque oecos studiorum ibidem instructos occupare valuerunt.



Oecus theatri anno 1906^o receptus.

Ultima confecta est aula gymnastica, quae quodque usui oeci festivi theatrique servire debuit et itaque scaenam atque genus quoddam fossae symphoniarum habuit.⁴⁶ Hunc in modum novum aedificium seminarii pleno usui tradi potuit.

Diutius autem neque in vetere aedificio Sanctae Catharinae neque in eius additamento novo maiores mutationes factae sunt. Demum hieme anni 1928



Imago parietalis, quo refectorium seminarii anno 1928^o ornatum est.

46 Totus oecus pluribus propositis destinatus mense Februario a. 1906 a P.re Amando Heinze unā cum nonnullis adiutoribus depictus est atque suggestus theatri pariete scaenae instructus est. - Maria HILDEBRANDT (2008), p. 98.

/1929 iterum res maioris momenti commemoranda est. Nam illo tempore parietes refectorii, quod in aedificio Sanctae Catharinae situm erat, a P.re Gregorio de Witt ex Belgicā Abbatia Montis Caesaris⁴⁷ [*Mont César*] exoriundo picturis exornabantur.⁴⁸ Artifex magnas picturas exaravit, quae telis linteis superponebantur et parietibus septentrionali orientaliq[ue] atq[ue] spatiis inter fenestras intermediis affigebantur. Thema commune imaginum erat Christus crucifixus ut Salvator peccatorum.

4.15.5.2. De seminarii cappella

In pristino monasterio Sororum scilicet cappella erat.⁴⁹ Sororibus inde transmigratis haec cappella ad seminarium pertinebat, sed renovanda erat, et etiam aliquatenus immutata est.⁵⁰ Hi labores inter initium mensis Ianuarii et initium mensis Februarii a. 1905° exanclati sunt.



Cappella seminarii anno 1905° recepta.

47 Anno 1888° ab Belgicā Abbatia Maretiolensi [*Maredsous*] Bendecitina domus studiorum Lovanii [*Leuven*] condita est. Ex illā deinde alio loco paulo distante anno 1889° provenit Abbatia Reginae Caeli in Monte Caesaris sita. Primo eadem ad Congregationem Beuronensem pertinebat. Anno 1921° Belgicae Congregationi missionariae «Nostrae Dominae» se adiunxit. Inde ex anno 1968° haec Abbatia ad provinciam Flamico-Nederlandicam Congregationis Subiacensis pertinet.

48 *Cfr* Chron. Ottil., m. Ian.-Iun. a. 1929. - Rem breviter commemorat Konrad HECKELS-MÜLLER: *Baugeschichte St. Ottilien* (2) (s.a.), p. 14 (ASO, A.14.0).

49 *Cfr* Vol. 1, cap. 1.6.4.

50 De cappella seminarii *cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 106 sqq.

His in mutationibus altare principale a cappellae latere meridionali ad aediculam lateris orientalis transpositum est. Hoc non solum propter directionem orientalem opportunum erat, sed etiam quia illa aedicula quadamtenus formam apsidis habuit. In occidentali latere adverso replum prioris introitus amovebatur et fenestrae ibidem sitae usque ad pavimentum maiorabantur, ita ut cappella hunc in modum amplificaretur. In hōc novo oecō altare Beatae Mariae dedicatum collocatum est. Superiori parti parietum inscriptio Latina addita est, quā totus oecus cappellae circumdabatur.⁵¹

Etiam quod attinebat ad cappellam seminarii, nonnulli anni transacti sunt, antequam iterum maiores mutationes fiebant.⁵² Nova autem conformatio facta est ex desiderio P.ris Narcissi Heffele, illius temporis rectoris seminarii. Consilia ad cappellam renovandam spectantia a mense Septembri a. 1923¹ fieri incohata sunt, cum P. Narcissus ad Beuronensem pictorem notum P.rem Paulum Krebs⁵³ se convertit, cum optaret, ut nova depictio cappellae revera ab illo fieret. Tamen P. Paulus Krebs propter multa alia mandata huius generis desiderium P.ris Narcissi denegare coactus erat. Nihilominus ipse generaliter ad hōc inceptum sustentandum atque ad auxilium ferrendum paratus erat. P.ris Pauli Krebs inceptum interesse etiam apparuit in eo, quod statim de mensuris exactis oeci cappellae mittendis rogavit.⁵⁴ Insimul confratrem suum Beuronensem Didacum Rait commemoravit, qui singulas res curare posset atque in ipsis picturis perficiendis auxilium ferret. Iam paulo post P. Paulus proposita picturarum exhibuit.⁵⁵ Quod attinebat ad imaginem parietalem post altare principale pingendam, cogitavit de figura Sacratissimi Cordis Iesu; parietes iuxta altare principale copiis a Beuronensi cappella Sancti Mauri

51 Inscriptio autem erat haec: «*Non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei supraedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christi Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*» (Eph. 2,19-22). - Indicium huius inscriptionis, quae ex Chronicis seminarii affertur, apud Mariam HILDEBRANDT (2008), p. 107.

52 De hac mutatione cfr Chron. Ottil., Febr. 1925; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 108 sqq.

53 P. Paulus Krebs (1849-1935) erat discipulus P.ris Desiderii Lenz (1832-1928), qui Beuronensem scholam artis fundaverat.

54 Cfr epistula Pauli Krebs die 25 m. Sept. a. 1923 ad Narcissum Heffele directa (ASO, A.14.4.3).

55 Cfr epistula Pauli Krebs die 29 m. Nov. a. 1923 ad Narcissum Heffele data (ASO, A.14.4.3).

sumptis ornarentur.⁵⁶ Praeterea secundum eius opinionem fenestrae post altare principale sitae erant lateribus concludendae, quia aliter ipse murus contemplatoribus aspectum nimis intranquillum praeberet.⁵⁷ Insuper proposuit, ut lacunar tantummodo ornamentis decoraretur, id est sine picturis.

Revera deinde Fr. Didacus Rait primas delineationes praevias picturarum exaravit, quas diiudicandas ad P.rem Paulum Krebs misit. Eidem delineationes etiam satis bene placuerunt, etiamsi nonnullas parvas adnotationes correctionis subiunxit.⁵⁸ Cum P. Narcissus Heffele propositis P.ris Pauli Krebs assentiretur, Fr. Didacus Rait tempore insequenti praeparationes praevias atque picturas conficiendas curavit, quo in conexū exactissime indicavit, quomodo Fratres Ottiliani certos labores facerent.⁵⁹ Cum rerum periti suasissent, ut lacunar tantummodo ornamentis ornaretur, scaenae e vitā Sancti Benedicti depromptae amovebantur, quae imagines iam in cappella Sororum fuerant.⁶⁰

Inter dies, quibus parietes harenatione oblinebantur, atque occasionem, quā imagines parietales definitive pingebantur, aliquod spatium temporis transiit,

56 Beuronensis cappella Sancti Mauri erat fundatio principissae Catharinae de Hohenzollern et inter annum 1868^{um} (initium aedificandi) et annum 1871^{um} (benedictio cappellae) paulo distans ab ipso monasterio Beuronensi exstructa est. - *Cfr* ex. gr. Hubert KRIMS: Gnadenkapelle und Mauruskapelle in Beuron. Beuron ³2013, pp. 32 sqq.

57 Hanc necessitatem etiam Fr. Didacus Rait iterum protulit in epistolā suā die 24 m. Ian. a. 1924 ad Narcissum Heffele missā (ASO, A.14.4.3), quā eandem sententiam P.ris Desiderii Lenz de hac re exhibuit. - P. Desiderius Lenz etiam postea consiliis inceptum participavit. *Cfr* epistula Didaci Rait die 8 m. Febr. a. 1924 ad Narcissum Heffele directa (ASO, A.14.4.3).

58 *Cfr* epistula Pauli Krebs die 21 m. Mart. a. 1924 ad Didacum Rait missa (ASO, A.14.4.3). - Scitū dignum praeterea est P.rem Paulum hōc locō proposuisse, ut in cappellā seminarii eadem magnitudo imaginum efficeretur ut in cappellā Sancti Mauri, quia «*tunc Tibi minus laboris esset*».

59 Exemplum quoddam huius condicionis est progrediendi modus singillatim explicatus in parietibus harenatione oblinendis. *Cfr* epistula Didaci Rait die 8 m. Febr. a. 1924 ad Narcissum Heffele data (ASO, A.14.4.3). - Haec postulata Didaci Rait scilicet sunt intellegibilia, cum harenatio fuerit fundamentum imaginum deinde pingendarum et cum eiusdem qualitate etiam qualitas imaginum cohaereret. Iam Paulus Krebs in epistolā suā die 29 m. Nov. a. 1923 ad Narcissum Heffele directā (ASO, A.14.4.3) adnotaverat talibus in rebus ad F.rem Didacum Rait convertendum esse, cum idem «*necessitates technicas optime sciret*».


60 Anno 1927° hae imagines intra monasterium supra fenestrarum arcūs ambulacri stationis suspendebantur. *Cfr* Chron. Ottil., m. Ian.-Dec. a. 1927. - Hodiernis temporibus quaedam harum imaginum in Museo missionis inveniuntur.

usque dum Fr. Didacus unā cum adiutore quodam ad monasterium Ottiliense venire valuit, ut labores efficeret. Deinde picturae secundum prima proposita parietibus illinebantur. Hoc significat parietem post altare principale imagine



Seminarii altare principale anno 1925^o confectum.

Sacratissimi Cordis Iesu ornatum esse. A sinistris et a dextris huius picturae - extra apsidem - copiae a Beuronensi cappella Sancti Mauri sumptae conspiciebantur.⁶¹ Imagine sinistra monstratur scaena, quā Sanctus Benedictus



Pictura a sinistris altaris principalis posita.

61 Picturas originales cappellae Sancti Mauri artifex Beuronensis P. Desiderius Lenz creaverat.

discipulos suos Placidum atque Maurum docet, et altera scaena ostenditur, quā Placidus mittitur, ut aquam afferat. Infra hanc imaginem invenitur inscriptio haec: «*Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos; currite, dum lumen vitae habetis.*»⁶² In imagine lateris dexteri conspicitur in primā scaenā, quomodo in eo sit, ut Placidus iamiam aquis submergatur, et quomo-



Imago a dextris altaris principalis inveniēda.

do Maurus, qui ei auxilium fert, supra aquam currat. In secundā scaenā huius picturae Sanctus Benedictus discipulum suum Maurum benedictione largitur. Infra hanc quōque imaginem inscriptio ponebatur. Ibīdem autem leguntur haec: «*Cum transieris per aquam, tecum ero, quia ego Dominus Deus tuus salvator.*»⁶³

In initio consilium captum erat, quo altaria in cappella seminarii constituenda ex ligno conficerentur. Haec enim erat quaestio sumptuum. Tamen Archi-abbas Norbertus instanter rogavit, ut altare principale exararetur ex lapide. Hoc desiderium expleri revera potuit, cum seminario missionario a fautoribus e Tirolia exoriundis marmor Tridentinum donaretur.⁶⁴ Mandatum, quo altare


62 Regula Benedicti, Prologus.

63 Abbreviata sententia e VVLG. Is. 43,2,-3: «*cum transieris per aquas, tecum ero et flumina non operient te, cum ambulaveris in igne, non combureris et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus Sanctus Israel salvator tuus.*»

64 Cfr explicationes Narcissi Heffele in scripto suo die 21 m. Apr. a. 1925 ad ministerium rerum nummariarum missum (ASO, A.14.4.3).

secundum descriptiones F.ris Didaci Rait conficeretur, Meranensi lapicidae Iosepho Veith traditum est.⁶⁵ Allatum est altare in initio mensis Februarii a. 1925ⁱ singulis partibus, quae deinde in monasterio Ottiliensi componebantur.⁶⁶

Peculiaris cura P.ris Narcissi Heffele erat in eo, ut in oeco recenter facto, qui in latere occidentali cappellae situs erat, altare Beatae Mariae constitueretur.



Altare Beatae Mariae dedicatum anno 1924^o in cappella seminarii constitutum.

65 *Cfr* contractus inter Iosephum Veith atque Narcissum Heffele initus et diebus 31 m. Iul. a. 1924 atque 2 m. Aug. a. 1924 subscriptus (ASO, A.14.4.3).

66 In partibus altaris importandis difficultates quaedam cum telonio exortae sunt, quia Ottilianis videlicet nimis magna exsolutio vectigalis solvenda erat. Problema eā de causā factum est, quia unā cum partibus ipsius altaris reliquum marmor allatum est in formā tabularum, quae non directe ad altare pertinebant. Sed provisum erat, ut illae tabulae ad altaria itineraria sic dicta conficienda adhiberentur. Variis intercessionibus explicationibusque exhibitis denique contigit, ut nimiae impensae solutae redderentur. - *Cfr* epistula Narcissi Heffele die 21 m. Apr. a. 1925 ad imperialem administrum rerum nummariarum data; epistula principalis telonii Pfrondensis die 21 m. Iul. a. 1925 ad Narcissum Heffele missa; epistula Narcissi Heffele die 23 m. Iul. a. 1925 ad principale telonium Pfrondense directa; epistula praesidentis regionalis aerarii Monacensis die 24 m. Aug. a. 1925 ad Narcissum Heffele data (ASO, A.14.4.3).

Secundum ipsius argumentum discipulis speciatim tale altare esse cordi, quā de causā hōc locō ut picturam parietalem potius genus quoddam imaginis, quā pia meditatio instigatur, habere voluit.⁶⁷ Itaque ibi effecta est pictura originalis neque copia Beuronensis.⁶⁸ Picturā parietali monstrabatur Maria Iesum infantulum in brachio tenens. In lateribus imaginis principalis praeterea duae aliae picturae inveniabantur, in quibus bini monachi vasa turis portantes conspiciuntur, qui ad figuram Mariae progrediuntur.

Tota autem instructio nova cappellae seminarii videtur fuisse compositio apte pulchreque effecta, quae videlicet communiter probata est.⁶⁹

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 234, 2023, pp. 487-508]

67 *Cfr* epistula Narcissi Heffele die 4 m. Febr. a. 1924 ad Didacum Rait directa (ASO, A.14.4.3).

68 Sic condicio etiam Chron. Ottil., m. Febr. a. 1925 expressis verbis dicitur.

69 *Cfr* Chron. Ottil., m. Febr. a. 1925. - *Cfr* etiam responsum Didaci Rait ad Narcissi Heffele epistulam gratiarum agendarum die 15 m. Ian. a. 1927 data (ASO, A.14.4.3).